

**Disputatio medica inauguralis, de asthmate ... / proponit Joh. Jacobus Harderus ... An. M DC LXXIX.**

**Contributors**

Harder, Johann Jacob, 1656-1711.

**Publication/Creation**

Basileae : Jacobi Bertschii, [1679]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/t9ry9fnr>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
*De*  
**ASTHMA TE,**

*Quam*

AUSPICE ET PRÆSIDE

Deo Ter Optimo Maximo,

**DECRETO & AVCTORITATE**

*Magnifici, Amplissimi, ac Gratiissimi Me-  
dorum, in celeberrima & antiquissima  
Basileensium Academia,*

*Ordinis,*

Pro SUMMIS in UNIVERSA MEDICINA  
Honoribus, Privilegiis & Insignibus

**DOCTORALIBUS rite**

*consequendis,*

*Publicè ventilandam proponit*

**JOH. JACOBUS HARDERUS**  
*Scaphusâ-Helvetius.*

*Die 1<sup>er</sup> Septembris Augstli, A.N. M DC LXXIX.*

*Loco horisq; solitis.*



**BASILEÆ,**

---

Literis JACOBI BERTSCHI.

VIRIS

*Amplissimis, Excellentissimis, Experientissimis,*

Dn. CHRISTOPHORO HARDERO,

Medicinae Doctori, ac Illustris Reipublicae patriæ Politio optimè merito, Parenti suo, omni honoris & obsequii cultu in ævum venerando.

Dn. JOH. JACOBO HARDERO, Phi-

losophiae & Medicinae Doctori peritissimo, in Alma Rauracorum Universitate Rhetorices Professori clarissimo, Anatomes cultori summo & indefesso, studiorum suorum directori atque fautori perpetim suscipiendo.

Dn. MATTHÆO HARDERO, Phil. &

Medicinae Doctori, p. t. apud Episcopi cellenses Practico felicissimo, fratri suo medullitus dilecto, exceptatissimo.

*Hunc qualemcumq[ue] Arcus Doctoralis prodromum,  
ceu Studiorum suorum primitias*


*dicit & gratum officiosumq[ue] animunt*

*spondet*

*Joh. Jacobus HARDER.*

PRO O E M I U M.

 *Vemadmodum ἡντρός ἐστιν ὑπερέτης τῆς φύσεως, ita alii quoq; artifices abstrusissimas quasq; artium ἐγχειρίσεις, Alma Natura adjutrice, ac faciem preferente, edocti ac sectati sunt. Unde ingeniosissimi automatū, variarumq; machinarum hydraulicarum, ac pneumaticarum fabricatores stupendam ac ferè divinam partium respirationis actui inservientium structuram attentè contemplantes, alia atq; alia horum imitatione commenti sunt. Sicuti verò automatis cuiuscunq; compage fracta, soluta, vel alio quovis modo vitiata, illico omnis machina motus vel sistitur, vel præpeditur, vel infringitur: pariter particula vel minima, respirationis munus cum innumeris aliis perficiens, silensa sit, vel p.n. se habeat, continuanda inspirandi & expirandi vicissitudo vel sufflaminatur prorsus, vel alia quacunq; ratione variè depravatur. Ex affectibus autem, que structura humana pneumatica gravamen inferunt, Asthma, argumenti loco nobis esto, de quo in præsentiarum verba sum facturus.*



## S. Θ.

### THESIS I.



Uum autem nemo facilè de re ipsa bene disserat, nisi probè cognitum habeat nomen ipsum, utpote cuius notitiā nobis comparatā facilius in rei ipsius deducimur cognitionem. Etymologia namque nominis, juxta: *Epidetum* δέξιον est τῆς παγδούσεως, quare & nos ad omnem confusionem evitandam, ante omnia nomen ipsius rei excutiemus.

II. Asthma vox est *Graca*, orta ἀπὸ Γαϊδυατῶν, quod ἀπὸ Γαϊδυάζειν seu ἀρμάνειν, quod *Latinis* est anhelare, & suspirare. Asthmatici enim præ angustia organorum spiritualium, suspirantium instar, thoracem ad aërem insufficieni copia captandum valde attollunt. Lexicographi *Graci* ἀρμα deducunt à *Graco* verbo ἄω, flo, spiro. *Latini* *Graciam* ut plurimum retinent vocem. Sunt tamen, qui illud anhelatum, anhelationem, suspirium, denominatione à proprio accidente desumpta, vertunt, atque sic affectos, asthmaticos, anhelatores, anhelantes, & suspiriosos nominant, quia difficulter admodum, ac insimil frequenter respirare coguntur, instar eorum qui cursu citiori fatigati fuerint. Ridicula proin videtur illa etymologia, quæ asthma deducere conatur ἀπὸ τῆς ἀρματῶν, cantu, quod à *Graco* vocabulo ἄσω, cano, venit, ob sonum, quem hoc affectu detenti nonnunquam edere solent, aliud quoniam est ἀρμα, aliud ἀσω. Germanis dicitur das Reich n / die Engbrüstigkeit / ein kurzer Althem / aliis ein dampfiger und schwerer Althem.

III. Excussa asthmatis etymologiam, ejus homonymia enodam-

enodanda venit, quæ in varia nominis acceptione consistit. Capitur autem vel latissime, vel late, vel stricte. *Latissime* sumtum denotat quamcunque respirandi difficultatem, ex quaevque causa ortam. *Late* usurpatum secundum Petreum Nosolog. Harmon. Dogmat. Hermet. Tom. I. dissert. 8. complectitur omnem diuturnum thoracis affectum. *Stricissime*, & ναὶ ἔχον vox asthmatis accepta, quatenus contradistinguitur dyspnœæ, & orthopnœæ, denotat eam respirandi difficultatem, quam nunc in definitione designare aggredimur.

IV. Definimus itaque, missis variis variorum sententiis, *Asthma*, quod sit respiratio depravata, qua ægri cum cœbra anhelatione, frequenti aëris inspiratione, & magna pectoris contentione, nunc cum, nunc sine sibilo, & stertore, nonnunquam cum tussi, ut plurimum citra febrem, spiritum ducunt, orta à variis impedimentis, & obstaculis (de quibus infra fuisus), organorum respirationi inservientium, actiones pervertentibus.

V. Dixi in definitione *Asthma* stipari nunc *sibilo* & *stertore*, de quibus videatur Riverius mihi lib. VII. Prax. Med. cap. I, nunc verò ab illis planè liberum, & immune existere. Multos equidem vidi asthmaticos, qui nullum nec *stertorem*, nec *sibilum* durante paroxysmo, vel etiam extra eum edebant. Nec est, quod quis arbitretur verum asthma non esse, quod caret *sibilo*, & *stertore*, eo quod *sibilus*, & *stertor* individui asthmatis audiant comites; quandoquidem hæc symptomata tum præcipue urgente solent, quum adest bronchiorum pulmonum vel obstructio, vel constipatio, vel compressio, ceu fit in asthmate pneumonico, in quo ductus tracheales vel obturantur, vel coarctantur, vel comprimuntur, unde aëri in- & egressu liberò commeatu, ob bronchiorum angustiam, denegato, ab illicius in asperæ arteriæ tubulos cartilagineos illisione sonus excitatur. Uti non omni asthamati conjunctus est *sibilus*, vel *stertor*, ita nec omnis respiratio difficilis cum *stertore* est asthma. Vidi enim apud Nostrates, Honor. Dom. Parentem meum in praxi comitans, fœminam sexagenaria majorem, vita adhuc superstitem, quæ ex casu ab alto in dorsum, difficilem passat respirationem cum *stertore*, & tussi sicca, absque tamen

crebra anhelatione, vel frequenti aëris inspiratione. Propterea tamen asthma cum dyspnœa, & orthopnœa non confundimus. In dyspnœa respiratio, non in tantum depravatur, utpote cum nec anhela, nec sonora edatur. In orthopnœa ea ægros fatigat spirandi difficultas, quâ prehensi non nisi sedentes, & erecta cervice respirare queunt, ob suffocationis periculum. In asthmate econtra etiam sedentibus, nunc magis, nunc minus, respiratio est crebra, anhela, juncta cum pectoris commotione.

VI. De parte affecta asthmatis adhuc dum inter autores controvertitur. Plerique pulmones, & asperæ arteriæ tubulos cartilagineos accusant. *Clariss. Van der Linden* ventriculum pro loco primario affecto agnoscit. Nos de aliorum opinionibus sententiam ferre nolentes, dicimus, vitium hujus affectus radicari, vel in parte movenda, quam s. n. ritè conformatam esse oportet ratione substantiae, vesicularum, vasorum, & ductuum omnis generis, membranarum, fibrillarum nervearum, &c. quarum miram in pulmonibus compagem ingenuè detexit *Malpighius*, vel in parte moveante, ceu diaphragmate, ejusque ac thoracis musculis, nervis, fibrisq., motricibus, quæ motu certo mecanico ab *Ingenios. Boyle, Suammerdamio, Willis*, aliisque egregiis adumbrato experimentis, molem pulmonariam irruentis aëris ope tendunt, eamque reciproca inflatione, vel subsidentia, perpetim carent. Ex quibus resultat triplex asthmatis differentia, qua aliud secundum *Modernos*, in primis illorum *Coryphaeum, Willium*, judicatur pneumonicum, aliud convulsivum, aliud mixtum, de quibus thes. 8.

VII. Affectus symptoma est, cuius secundum Galenum tria sunt Genera. Διάθεσις & σώματος, ἀνεργειῶν βλαβαὶ, καὶ τὰ αἱρέσεις ἐπόμενα, κατέ πε τὰς ἀμετρίας τῶν ὀκκελομένων, καὶ ἐπεχομένων, & quidem actionis depravatae non auctæ, neque imminutæ, uti ex iam dictis facile colligere est.

VIII. Symptoma hoc præsupponit nunc morbum, nunc tantum causam morbi, nunc *urung*. Asthma, quod à solo dependet morbo, nominatur pneumonicum, & provenit ut plurimum ab angustia bronchiorum pulmenum, quam variæ cau-

sæ inducere valent. Asthma à causa duntaxat morbifica oriundum dicitur *convulsivum*, & procedit ab irritatione nervorum, qua à cerebro decurrentium, qua pneumonicorum, phrenicorum, qua etiam fibrarum *nervearum* & *carnearum* bronchiis circumvolutarum. His tamen non obstantibus, potest quædam bronchiorum angustia admitti in asthmate *convulsivo*, in qua bronchia pulmonum angusta redduntur, dum illa spasmodice tantum afficiuntur, citra materiæ impactionem. Ex anatome enim liquet, tracheæ tubulos suis quoque donari nervulis, & fibrillis *motricibus*, quæ dum præter naturam à spiritibus irritatis, & explosivis factis inflantur, ductus tracheales valde constringuntur, & ita aëris debitum influxum intercipiunt. Inspiciatur *Willis de morbis convulsivis cap. XII.* Asthma mixtum ex pneumonico, & *convulsivo* sui productricem agnoscit, qua bronchiorum angustiam, qua irritamen nervorum, & fibrarum *nervosarum*, aut *muscularium*, de quibus sigillatum agetur.

IX. Causa asthmatis *pneumonici* proxima, est angustia bronchiorum in pulmonibus, à qua, ceu morbo, symptomata hoc primario dependet, unde etiam est usus auctus propter angustiam bronchiorum, quando enim ductus, & viæ aëris coarctantur, aër quoties respirationis usus augetur, in copia idonea non admittitur, hinc natura suimetipsius studiosa, quod unica inspiratione obtinere non datur, crebra, & frequenti recompensare satagit. Bronchia autem pulmonum angustantur à causa cum interna, tum externa. Quando angustiora efficiuntur, à causa interna, vel obturantur, ut dixi, vel constipantur. A causa verò externa malum si originem trahat in pulmonem parenchymate, solam compressionem ab extra incumbentibus factam agnoscit.

X. Bronchiorum obstructio, quæ liberum aëris intus, & foras commeatum impediendo difficultem causatur respiracionem, à variis ortum dicit causis. Frequenter huic ansam portigunt humores crassi, lenti, viscidii intimos asperæ arteriæ meatus obsidentes, humores item serosi, tenues ex capite in pulmones depluentes, ac *canna pulmonalis* tubulos oppilantes. Fit etiam ob humores serosos, qua in pulmonibus paulatim

agge-

aggestos, qua ex vasorum lymphaticorum, quibus copiosi circumfusi sunt, osculis extillantes, qua ex glandulis, cum bronchialibus, tum aspera arteria, excolatos, quæ serum per arterias cum sanguine arterioso advectum in se recipiunt, lymphamq; per sua peculiaria vasa, quæ ipsis addita sunt, inductum Pecquianum (adstipulante Willisio, & Regnero de Graaf in suo tractatu de succo pancreatico) relegant, per quem chylo adscendentem reaffusa, ad communem sanguinis remeat aliam. Facile quoque ex hisce locis serum depluit, præprimis quando glandulæ dictæ, & vascula lymphica à crebris paroxysmorum insultibus debilitantur, ac sic ad serum facilius, & promptius de se dimittendum veluti disponuntur. Idcirco si colluvies serosa ingens in thorace deposita pulmones plurimum inficit, illorumque poros, & meatus obstruit, ut sanguis in circuitu suo impeditus vasa pneumonica liberè pertransire nequeat, asthma anhelosum invadit. Vasa hæc lymphatica, thorace canis vivi & vegeti aperto, digitisque compressa ductus thoracici summitate, qua subclaviæ proximè inseritur, egregios, circa venarum tubulos varios, amplexus formare ternere est. Via enim chylo, ductus pressione, interclusa, lymphæ, quæ ipsum dilueret, regurgitans impensè vascula sua replet, ac distendit, ut visui non tantum pateant, sed & non raro rumpantur. Rei hujus periculum feci ante annum & quod excurrit, cum fratre meo, Med. Doctore p.t. apud Episcopi-Cellenses Practico felicissimo. Oppilatio bronchiorum pulmonum procuratur quoque, quoties ductus tracheales à materia purulenta post abscessum ruptum opulentur, vel quando sanguis extravasatus iis impingitur. Evenit nonunquam asthma fœminis à sanguinis ab inferioribus ad superiora versus pulmones regurgitatione ob menses suppressos: sicuti sèpius sexum audimus sequiorem, cui menses non flunt, querentem de cordis anxietate & asthmate, præser-tim in adscensione locorum acclivium. Ad fœtum hunc in lumen protrudendum multum quoque valent tubercula, schirri, calculi, lapilli, concretiones velut lapidosæ, arenaceæ, caseosæ, fœculentiæ salino-fixæ, terrestres, tartareæ à sanguinis cruce in pulmones depositæ, aliaque corpora gypsea, vel grandinosa tracheæ ductibus insidentia, quæ cuncta parili ferme ratione

ratione obturationem, uti assertum & observatum habemus ab auctoribus pluribus, qui consulendi, inducere apta nata sunt.

XI. Στρογγυλεῖαι, quae bronchiorum angustiæ causa est, creant cruda tubercula, vomica, aneurismata, grandines intus nati, &c. Singula hæc efficacia sunt, bronchia pulmonum constipare, in quantum intra *cannæ pulmonalis* ductus infixæ hærent, & pro majore, vel minore sui mole, nunc majorem, nunc minorem canaliculorum tracheæ angustiam accersunt.

XII. Θλιψία bronchiorum gignunt quæcunque in pulmonum substantia circa *fistulæ trachealis* tubulos hærent, eosq; forinsecus incubando gravant, atque coarctant. Ad hoc præstandum apta sunt omnis generis tubercula, calculi, portiones ossæ, vomica, gibbus, humores crassi, mucosi, viscidi, & tenaces *vesiculas pulmonicas*, nuper à *Malpighio* detectas, infarcientes, indurantes, tumores proximarum partium, ut ventriculi, jecinoris, lienis, vel infarctu tumentis, vel schirro duri, vel alia aliqua corpora p. n. sub diaphragmate succrescentia, illudque sursum propellentia, quale exemplum memorat *Cl. Kerkringius* in suo *spicilegio Anatomico* *Observ. 89.* Gestatio item fœtus grandioris in utero. Idem affectus per compressionem excitatur, quoties ejusmodi materies arteriæ, aut venæ pneumoniacæ ductibus inhæret: Ita recenset *Hollerius lib. I. de morbis inter. cap. 25.* se in apertione cadaveris *Monachi* cuiusdam, qui, dum vita adhuc superstes erat, molesto vexabatur asthmate, in *vena arteriosa*, & *sine pari* deprehendisse *abscessum*, gravis hujus asthmatis unicum causam, salvis omnino pulmonibus. Accidit non nunquam, ut canales tum arteriæ, tum venæ pneumoniacæ, plane fiant *ossei*, eorumque parietes ita comprimantur, ut rima tantum exigua ad sanguinis transitum relinquatur. A tali venæ pneumoniacæ mala conformatione extinctum *Juvenem* dissecuit *Ingenios. Willis.*

XIII. Asthma pneumonicum non semel obvenit ob sanguinem nimis ferventem, & turgescentem: quando enim sanguis impetuose effervescit, & tumultuari incipit, affatim, & cum impetu vasa trajicit pulmonica, ubi quatenus illa ob nimiam suaræfactionem, & turgescentiam extendendo, & ampliando,

pliando, ductuum aeriferorum producit angustiam, & compref-  
sionem, asthmatis auctor est. Quæcunque proin sanguinem  
valde æstuare faciunt, inque *orgasmum* concitant, uti sunt motus  
violentus corporis & animi, frigoris & caloris excessus, uber  
vini generosi potus, venus immodica, quinimo interdum me-  
rus lecti calor, insultus asthmaticos accersunt, maxime illis,  
qui ad hoc malum à natura, vel morbis quasi damnati, ac præ-  
dispositi sunt. Quoties item sanguis extravasatur, & in ves-  
culas *Malpighianas* deponitur, in ipsis stagnans, & vasa vicina  
premens, asthma efficit. Huc referenda quoque venit, materia  
purulenta post abscessum ruptum in pulmonum poros se se-  
insinuans, ut & affectus alii, vitiosam materiæ suæ morbificæ  
metastasis nacti: sicuti hoc fieri consuevit in angina, pleuri-  
tide, empyemate, &c.

XIV. Causa continens asthmatis *convulsivi* est, quicquid  
nervos pneumonicos, vel fibras *nerveas*, & motrices irritare, aut  
corrugare potest. Stabulatur materia hæc irritativa, biliosa,  
falsa, acris, acida, corrodens, nunc in *nervorum ductibus*, sive jam  
illis adhærescat, sive cerebrum, vel cerebellum, unde nervi  
scaturiunt thoraciei, ipsum occupet, nunc in *fibris carneis mu-*  
*scularum*, qua pectoralium, qua diaphragmatis, qua etiam  
vasorum, & bronchiorum pulmonarium, quæ suis etiam in-  
structa esse *fibris motricibus ocularis inspectio patefacit*, nunc verò  
*in ramis, & surculis propaginum nervosarum, & nervorum predictarum*  
partium, uti nos docuit *Willis* part. 2. *pharmac. rat. cap. XII.*

XV. Fibrarum muscularium vitio asthma *convulsivum* fit,  
quando portio materiei salino-acidæ, acris, sive jam *lympa* sit,  
sive *serum* διὰ τὸ εὔχεθαλός in *nervorum surculos*, ab eo pro-  
tensos, expellitur, quæ hinc ex *ductibus* illorum elapsa, & cir-  
ca extremitates fibrarum muscularium deposita sensim aggeri-  
tur, & aggesta in fibras *nerveas* insiliendo qualitate, & quanti-  
tate, illarum incolas inquietat, ac in spasmos urget. Unde pa-  
roxysmus asthmaticus, qui non cessat, donec penitus sit dis-  
cussa, & dissipata. Eadem materia de novo collecta, novas  
quoque spirituum ogmias excitare potis est.

XVI. Magis frequens asthma *convulsivum* oritur affectis  
nervis pulmonicis, phrenicis, & thoracicis, si similis materia  
ductus eorum ad plenitudinem, ac *turgescientiam* occupet, &  
moveri

anoveri incipiat. Tali asthmate *convulsivo* divexabatur *Juvenis*  
mihi probe notus, qui quotidie circa sextam, nunc septimam,  
nunc octavam vespertinam asthmatico corripiebatur paroxysmo,  
eoque satis gravi, succedebat enim à *Phœnicia*, ac ingens cor-  
dis anxietas, durante paroxysmo; ob pulmones in diutina dia-  
stole à spiritibus irritatione explosis detentos, at brevi rursus  
quiescebat sine tussi, vel screatu. Præsentiebat paroxysmi pro-  
dromos, capitis videlicet dolores modice vellicantes, aliquam-  
que obrepentem vertiginem. Ex his, & habitus disposi-  
tione judicatum fuit, mali causam sero, vel lymphæ, acriori ad-  
scribi merito posse, fibras harum partium *nerves* vellicanti.  
Ante, & post hanc exacerbationem ne minima præpeditæ re-  
spirationis indicia extabant. Hinc ex juvantibus patefactum,  
fomitem mali latuisse in *lymphæ acriori*, serum evacuantibus,  
temperantibus, absorbentibus, & præcipitantibus tuto & cito  
correcta à *Dn. Parente meo in ævum honorando*: Ob affectionem tot  
nervorum spasmodicam, præter modo nominatos motus asthmati-  
cos, interdum angunt hoc malo affectos graves cordis passio-  
nes, animi deliquia, syncopes, palpitatio cordis, &c.

**XVII.** Causa continens asthmatis *mixti*, est mixta ex  
utrisque, quæ qua aëris vias infercire, qua nervos irritare apta  
est. Prout hæc, vel illa, prædominium obtinet, asthma potius  
ad hujus, vel illius, naturam accedit. Asthmatis *mixti* exem-  
plum venerando Domino Parenti meo præbuit *Juvenis* nostras, qui à  
primis annis exacerbatione asthmatica vexatus est, ac nuper  
apud exterios moras necens sensit varia potulentorum, & escu-  
lentorum mutatione, malum quoque augeri; unde domi *an-*  
*tispasmodicis*, & *anachardagoriv* promoventibus (materiam enim  
aquosam, spumoso phlegmate turbidam eructabat) aliquan-  
diu usurpatis restitutus fuit.

**XVIII.** Quando asthma per certas periodos invadens,  
originem trahit à catharris deorsum procumbentibus, causæ  
antecedentes erunt humores serosi, tenues, & acres, à capite  
in pulmones ruentes, eorumque bronchia opplentes. Sub-  
inde usivenit, ut ægri, si catharri, bronchiis jam oppletis, su-  
bito, confertim, accum impetu in pulmones ruant, in extre-  
mum vitæ periculum conjiciantur, prout testatur *Fernelius lib. 4.*  
*de partium morbis, & symptom.* Cœterum prænominati humores  
serosi

ferosi non solum à cerebro profluunt, sed cum sanguine arterioso ad glandulas, cum asperæ arteria, tum pulmonum, advecti, vel immediate ex arteriarum osculis in pulmones extillant, vel in glandulas absorbiti ex iis exudant, in primis si illæ laxiores, ac feri incontinentes sint, vel vasa lymphica ob vitium aliquod conformatio[n]is, ut si vel obstructa, vel compressa, vel exesa, aut erupta sint, illos excipere non possunt. Quum angustia bronchiorum pulmonis producta est ab humoribus crassis, lentis, & viscidis, causæ antecedentis rationem habebunt tales humores in sanguinis massa collecti, & vitio viscerum ac mala sanguinis dyscrasia progeniti, qui in fistulis asperæ arteriæ impacti majorem adhuc progressu temporis induunt glutinositatem, ac interdum tam pervicaciter ipsis adhærent, ut nulla vi, nullisque medicamentis a verruncari queant. Flatus, qui asthma efficiunt, matrem agnoscunt cruda-acidorum humorum uberem proutum, in intestinorum cavo coacervatum, & liquoris fermentativi inertiam, unde vitiosa fermentatio. Qua ratione flatus, asthma efficientes, generentur, ingeniose explicat. Cl. Sylvius in praxi sua Med. Lib. I. cap. XXIII. de aëris inspiratione p. m. 214. Posset his addi, quod ex vitiosa pituita acida cum bile commixtione, & effervescentia fibra nervosa intestinales irritentur, & distendantur, sicque vel alias vicissim in consensum vocando, vel partes pneumonicas vicinas comprehendendo, asthmati ciendo inserviant.

XIX. Quod si polypi causa existant asthmatis, accusandus venit sanguis lentus, viscidus, & ad motum perennandum ineptus, qui, dum tarde sinus cordis, & ductus vasorum hæmagogorum trajicit, serum ab ipso secedit, inque polypos concrescit. Polypos asthmatis causam fuisse ex plurium sectione ipse comperi, secante venerando Domino Parente meo, & ante annum in orphanotrophio Inclytæ hujus Urbis Juvenem rusticum, qui polypos in thalamis cordis vastæ molis, ac stupendæ magnitudinis (continebat enim in circuitu digitos 18. in latitudine 8. in longitudine spithamam) fovebat, & paulo ante obitum gravi orthopœa fatigabatur, secuit Cl. D. D. Harderus, Professor Rhetorices meritissimus, studiorum Promotor summe colendus, Præside Excell. D. D. Rothio, Anatomiae, & Botanices Professore Experientissima Decano p. t. spectatissimo. In uxore Pilearii à polypo subito enecta,

ante plus viginti annos polypum invenit plur. Honorandus Dn. Parens meus in cordis thalamum dextrum subito irruentem, pugni magnitudine cum appendicibus sursum deorsumque portrectis longis. Gravi illa laboravit cordis palpitatione cum astmate, utroque periodico.

XX. Ubi calculus, vel grando, pulmones occupat, causa antecedens sunt partes salinæ, terrestres, fixæ, tartareæ in massa sanguinea exuperantes, quæ ad pulmones delatæ, & asperæ arteriæ canaliculis, aut lœvibus arteriis, impactæ, quia exscreari nequeunt, coagulantur, inque substantiam grandinosam abeunt. Concretioni huic, non parum, ut reor, adjumentum adfert aër externus admissus, ceu qui, teste Helmontio, & Tachenio, acido potitur. Quantum autem spiritus salino-acidus in calculorum generatione valeat, neminem, vel leviter Chemie gnarum, fugit. Calculum emunetione per nares excretum vidi magnus Platerus. In cordis ventriculo dextro tres aliquando repertit Zacutus. In arteriis delitescentem patefecit Ampl. Tulp. lib. II. observ. Med. cap. 25. In renibus, & vesicis lapillos offendit non amplius inter rara habetur. Mense Februario hujus anni difsecui in ejusdem urbis nosocomio, ducente Exc. D. D. J. Fac. Hardero, Fautore meo magno, virum ex astmate-hydropicum defunctum, in cuius abdomine juxta alia notata dignissima comprehendimus dextrum renem pituita, seu potius materia gypsea, refertissimum, quæ aëri exposita externo in notabilem coagulata fuit duritiem. Historiam grandinum, & lapillorum è pulmonibus per tussim exscreatorum, mirabilem refert Galen. lib. IV. de locis affectis, & Fernel. lib. 4. de part. morb. & symptom. Videantur & historiæ Neotericorum.

XXI. In causæ antecedentis rationem venire quoque possunt morbi prægressi. Pleuritis in Empyema transiens, Angina in abscessum terminans, &c. Prædispositiones item, & proclivitates, ob quas hi, vel illi, magis affectui huic obnoxii sunt. Unde Causa noster pueros, & senes, asthamati opportunos: præ aliis pronuntiavit aphor. 26, 30, 31. sect. III. Nativa quoque pulmonum imbecillitas utramque paginam absolvit, præsertim quando accedit pectoris angustia, aut gibbositas. Malum isthoc quoque à parentibus una cum semine in liberos derivari consuevit, unde ab asthmaticis generantur asthmatici,

uti à nephriticis nephritici. Calculum suum ulterius conferunt  
intemperies variæ variorum viscerum. Cerebrum intemperie  
frigida, & humida laborans, infinitarum causa est destillatio-  
num, hinc non immerito illud magno Hippocrati sect. IIII.  
Περὶ συρκῶν. Μητρόπολις Ἡ Ψυχέß, καὶ τὰ χολώδεσσα audit.  
Urum nimis decurtatam incusat Fabritius ab aquapend. Oper.  
Chirurg. p. I. c. 37. quippe experientia edoctus illa absurda, vel  
præcisa pulmones ab aëre subito, & non temperato irruente,  
refrigerari, & difficilem facere respirationem, quinimo asth-  
ma inde secutum annotavit.

XXII. Causa antecedens asthmatis *convulsivi*, si malum  
hæreat in crebro, productum à *lympha acri*, vel *fero falso*, *acido*,  
erit talis materies in *massa sanguinea* præexistens, quæ per-  
ductus arteriarum ad εγκέφαλον defertur. Si verò illa stabu-  
letur in ipsis nervis, vel fibris *nervosis*, similiter iis inhærebit  
vitio sanguinis: quicquid enim nervi obtinent, à sanguine  
accipiunt. Quod si verò *lympha acri*, vel *acida* ex glandulis di-  
ctarum partium extillans causa sit asthmatis, causam agno-  
scit serum in *massa sanguinea* abundans, quod ad glandulas ha-  
scé copiosè delatum ab ipsis secerni non potens, qua data via  
erumpit.

XXIII. Antecedentes causas ordine sequuntur exter-  
næ, & evidentes, quæ variis modis materiam asthmatis ge-  
nerationi subministrant. Ut aér externus débitam suam cra-  
fin obtineat, multum situm est. Nam velutí morbi à cibis in-  
fligi queunt, ita non minus etiam ab aëre ægritudines corpo-  
ri imprimuntur. Aér calidus nimium, asthmatis causa evi-  
dens est, in quantum partes sulphureas in sanguine augendo,  
& accendendo ipsum ebullire facit. Frigidus poros *glandularum*  
*subcutanearum* constringendo, serositates, per insensilem trans-  
pirationem externi solitas, in *massam sanguineam* facit regur-  
gitare, hinc illa circa præcordia effervescent superfluitates  
suas intra pulmones exuit. Inde cernimus tempore brumali,  
frigoris sævitia urgente, asthma longe frequentius esse. *Glan-*  
*dulas* hæscé singulis cutis poris subjacere laudate observavit  
*Nicolaus Stenon*. Eandem ob rationem Hippocrati τὰ ψυχέα di-  
cuntur, τῷ σῆθε πολέμια, Συχέων κινητικά, αὐξορροκά, πατρ-  
ροικά

*pain à*, Sect. V. aph. 24. Humidus, crassus ac nebulosus, uti  
& pluvius aér humores pituitosos, & serosos cumulando ca-  
tharros facit, foveat, & auget. Siccus humores jam collectos ma-  
gis magisque exiccat, & densiores reddit. Subterraneus, fu-  
liginosus, nec non impurus aér, ut & mineralium, & metal-  
lorum vapores ex cavernis, fodiinis metallicis, & terræ specu-  
bus, exhalantes fomitem diro huic malo suggestere potentes  
sunt. Quod suo damno experiuntur aurifabri pocula deau-  
rantes, metallurgi, fusores, & fossores varia metallorum gene-  
re è terræ cryptis & antris eruentes. *Paracelsus* perita arte  
optima quæque è rebus elicere studentes. Omnes denique,  
qui quocunque demum modo circa metalla vel lavanda, vel  
excoquenda occupantur. Liquet hoc quoque ex variis præ-  
parationibus medicamentorum *Chiniorum*, ubi omnis generis  
particulæ, antimoniales, arsenicales, mercuriales, vitriolicæ,  
aluminosæ, salinæ, nitrofæ, sulphureæ, in auras volant ex-  
ternas, quas si quis incautus cum aëre inspirat, suas in cor-  
pore ludunt tragœdias. Asthma metallicum triplici modo fieri  
asserit *Theophrastus* in lib. I. tract. I. cap. 3. de morbis metallicis. Tem-  
pestatum anni magna quoque vis est in corpus humanum.  
Ita magna, ac repentina aëris mutatio asthmaticis damnsa  
existit. Cibi crassi, fœculenti, viscidi, flatulenti, aquosi, vi-  
num crassum, non bene defœcatum, quodque multum secum  
vehit tartari, similes humores producendo evidentes causæ  
asthmatis sunt. Cibi calidi, acres, piperini, & aromatizati,  
vini item generosi, aliorumve opiparorum potucentorum  
ingurgitatio, nec non nimius, & intempestivus motus noxia  
existunt. Quies immacula, vita deses, & otiosa cacochyiae  
*pituitoso-acidae* occasionem præbent, unde humores *crudo-acidi*  
generantur, partesque sanguinis salinæ volatiles figuntur, &  
obtunduntur. Vigiliæ nimia, venus intempestiva, & immo-  
derata cruorem sanguineum in feryorem agunt, massam sanguineam  
inflammant, & spiritus animales feroes reddunt. Somnus  
modum si non servet, varias in corpus introducit turbas, Ni-  
mius partes massæ sanguineæ exaltandas, & volatilandas crudas  
relinquit, caput gravat, corpus superfluitatibus serosis one-  
rat, Meridianus, ut & nocturnus in multum protractus diem,  
haut minorem malorum catervam post se trahit. Excreta, &

retenta, ut menses, hæmorrhoides, aliæve solennes evacuationes suppressæ huic malo manus largiuntur, versus superiora dum recedunt. Animi pathemata potentissimam obtinent vim ad morbos producendos, quare etiam illa decenter sunt moderanda. Ira, gaudium sanguinem vehementer ebullire faciunt. Metus subitaneus *liquorem sanguineum* subito versus cor reprimendo, suffocationem intentat.

XXIV. Differentiæ affectus nostri potissimum peti possunt à magnitudine, tempore, modo generationis, conjunctis, loco affecto, & eventu: 1. A *magnitudine* Asthma aliud est gravius, aliud mitius. Gravius existit, quod graves habet, & horrendos paroxysmos, vel etiam quod ex levi aliqua occasione statim revertitur. Mitius est, quod sui causam agnoscit minorem, & mitiorem, quæque non tantam noxam, & turbam corpori accersere potis est, 2. à *tempore*, & quoad *invasionem*: Aliud est recens, quod idemum infestare incipit, & à quo æger nondum diu vexatus est. Aliud inveteratum, quo cum jam per longum tempus æger luctatus fuit. 3. quoad *duracionem*: Aliud est *χρόνικόν*, quod diu durat, & perseverat. Aliud acutum, quod suas servat accessiones instar morborum acutorum, easque graves, ita ut intra paucos dies, imo horas, laborantes vita privet. Porro ratione temporis. Asthma aliud est *συνεχές*, quod nullas dat inducias, sed sine ulla intermissione ægrum jugiter afflit. Aliud periodicum, quod suas observans periodos per intervalla discruciat, eaque vel longiora, ut vere, & autumno, singulis mensibus, aut etiam annis, sic passim apud autores leguntur asthmata anniversaria, menstrua &c. vel breviora, ut singulis septimanis, alternis, imo singulis diebus. 4. *Modo generationis*: Aliud est hæreditarium, quod à parentibus in liberos una cum semine, & sanguine, hæreditario quasi jure traductum est. Aliud acquisitum, quod quisibi ipso post nativitatem contraxit, à variis causis supra commemoratis. 5. *A conjunctis*: Aliud est combinatum cum *orthopnoea*. Aliud vero illa orbum est. 6. *A loco affecto*, de quo sententiam nostram maximam partem supra jam protulimus, ut unicuique differentias inde eruere integrum sit, Aliud dicitur Idiopathicum. Aliud sympatheticum. Idiopathicum vocatur, quando humor asthma proferte potens congeritur, &

gene-

generatur in ipsis pulmonibus, ut quando ex pulmonum vasis lymphicis, eorumque glandulis, aut arteriarum osculis colluvies serosa sensim extillat, & colligitur. Sympathicum nuncupatur, quum generatur vitio viscerum, à pulmonibus remotorum, ut capitis, hepatis, lienis, ventriculi, mesenterii, renum, uteri. 6. Ab eventu: Aliud est salubre, quod curationem, sive jam veram, & perfectam, sive tantum palliativam admittit. Aliud lethale, quod nulla arte, nullisque medicamentis extirpari, & eradicari potest, sed ægrum ad sepulcrum usque comitur.

XXV. Signa diagnostica sunt duplia, alia *imminentem*, alia *presentem* ostendunt affectum. Imminentes, & futuri signa sunt 1. *Báρος* & *Severity*, gravitas pectoris, à multiplicibus oriunda causis. 2. Quando spiritus difficilis trahitur in motu, vel ad scensione locorum acclivium. 3. Tussis asthmaticis molesta, quæ licet non semper adsit, præsens tamen haut levius paroxysmi futuri prodromus existit. 4. Ineptitudo ad consueta munia obeunda, aliaque impedimenta, & obstacula in quovis corporis exercitio, quæ procedunt à spirituum animalium penuria, vel ab humorum crudorum in corpore umerate, spiritus torpidos, & ad agendum inhabiles reddente, vel à corpore nimis obeso facto. 5. Flatus animadvertuntur in præcordiis, si decumbunt in dorsum, vel in plano, capite non in altum elevato, adsunt eructationes sine manifesta aliqua causa, quæ flatibus suam originem unice acceptum referunt 6. Illi, quibus asthma futurum est, dormire vix possunt, sed vigilant 7. denique ad asthma propensi naribus gaudent, ad aërem promte capeffendum, diductis.

XXVI. Affectus ipse facile agnosci potest: Ipsum præsentem commonstrant respiratio crebra & anhela cum meatu suffocationis, stertor, sibilus, pondus pulmonibus incumbens, illosque premens, cui licet ansam porrigant humores multi pulmonarium mollem inundantes, ejusque debitam explicationem sufflaminantes, alia tamen nonnunquam *Medico* vel *exercitatiissimo* plane abstrusa, & incognita subesse affolet causa, quæ demum post mortem, corpore perlustrato, detegitur. Rara hujus historia extat in *Spicilegio Anatom. Excell. D. D. Kerkringii, Observ. XII.* ubi in sectione viri, maxima anhe-

litus difficultate, dum vitali fruebatur aura, decumbentis reperit lapillos varios variæque figuræ, immediate aperæ arteriæ incubentes, quam ita oppressere, ut æger suffocari nesse habuerit. Mirabilem quoque refert Ampl. Tulpius in suis observ. Med. lib. II. cap. VII. de cive Amstelredamensi, qui 7. amplius annos indefatigabili tussi, & spirandi difficultate molestabatur à putamine nucis avellanae, circa caput aperæ arteriæ hærente. Febris nunc abest, nunc adest, si præfens est, pulsus exploratur frequens, & urina mingitur magis tincta, bileque magis saturata. Nonnunquam tanta asthmaticorum paroxysmorum est sævitia, ut ægris sudorem extorqueant, & caput, collum, thorax sudore delabente diffluant ob summam cordis anxietatem, & partium motricium, & fibrillarum nervearum spasmodicam agitationem: sæpius autem sudor promanat ob copiam seri, sanguinem perluentis, citra tantam partium contentionem.

**XXVII.** Signa differentiarum 1. ratione ipsius affectus.  
Asthma *pneumonicum* ab asthmate *convulsivo* distinguitur in hoc, quod in asthmate *pneumonico* plerumque adsit vel sibilus, vel stertor, vel pondus gravans, absque tanta partium vitalium inflatione, quum econtra in asthmate *spasmodico* partes spiritales veluti convellantur, ob fibras *nervosas* corrugatas & spiritus *elasticos* factos. Secundo in asthmate *convulsivo* spiritus magna cum vehementia exploduntur, inque fibras *nervosas* lancinatas insiliunt cum maxima cordis anxietate (quæ equidem in asthmate inveterato etiam subinde subsequi solet) nullo juxta præsente stertore, vel sensu ponderis cuiusdam, sed simultanea invasione, adeo ut ægri tussientes mox, quasi *convulsi* varie agitentur, & angantur. Ex dictis facile colligere est signa asthmatis *mixti*, in quo animadvertisit aliquid *convulsivi* cum stertore, & anhelosa respiratione.

**XXVIII.** Signa distinctiva 2. ratione causarum.  
Quod si à sanguine supra modum ebulliente oriatur asthma, hujus signa aderunt haut obscura, ut plethora, corporis habitus *& ovaq<sup>x</sup>*, color faciei roseus, & vicissim prægressæ sunt causæ massam sanguineam concitare valentes. Si à latice seroso malum propullulat, adsunt vel signa hydropsis pectoris, vel materies serosa tenuis per superiora rejicitur, præcedentibus

juxta causis, quæ p: r glandularum constrictione de colluviri seroſe in thoracem defluxione testantur. Si id oboritur vitio abscessus alicujus rupti , vel propter partem aliquam infimi ventris nervosam irritatam, affectus hi vel adhuc præsto sunt, vel præcesserunt. Sin verò procedat à materia , in cerebro latitante, fatigabunt capitis dolores , vertigo , & respirationis notabitur summa inæqualitas , & difficultas. Si à phlegmate crasso, viscido , & tenace , in bronchiis pulmonum collecto, asthma fuerit pronatum, patefacient pectoris gravitas, totius corporis segnities, difficultis respiratio cum tussi , ac sonitu, nec non stertore inter dormiendum. Phlegma hoc si per os excernitur , observatur crassum, & paucum, quo firmius autem illud dictis est impactum bronchiorum tubulis, eo majori cum difficultate æger per screatum quid ejicit , eoque crassius, & glutinosius sputum evadit. Phlegmate autem sensim excreto, paulatim quoque cessant, & imminuuntur tussis, difficultas spirandi, ceteraque symptomata. Si materia vitiaria stabuletur in arteria venosa, vel vena arteriosa Medicus pulsum tanget tremulum, inæqualem, nonnunquam intermittentem, immersum, cor inconsensum rapitur, æger tussi immani & inani torquetur. Uti hoc accidisse manifestum est Antipatro cuius pulsum Galenus deprehendit tremulum & inæqualem. Inspiciatur histor. lib. IV. de loc. affect. cap. 8. Quod si humores aliunde in pulmones per intervalla affluant, inibiique congerantur , difficultis respiratio non est continua, sed per sua intervalla interpolatim recurrat. Et licet asthma, quod à materia in ipso pulmone collecta excitatur , subinde quoque exacerbari soleat à causis externis, ut aëre austrino, pluvio , & nebuloso , hisque similibus, in asthmate tamen, quod à materia aliunde confluente producitur, exacerbatio illa longè evidenter existit. Si asthmatis materia à cerebro defluat , catharri depluentis signa haut levia in apparatu erunt. Sin verò illa ab inferioribus partibus ad pulmones transmittatur de catharris altum erit silentium , & contra partium offendarum vestigia apparebunt. A flatibus paroxysmus si exasperatur , murmurant hypochondria, eliduntur crepitus alvi, audiuntur ructus per superiora, à carminatibus magnum adfertur juvamen, flatibusque discussis paroxysmus

xysmus cessat. Tuberculum quodsi adsit crudum, vix ac nevix  
quidem internosci potest, sensim enim malum incrementum  
capit, nec æger se unquam à respiratione diffici prorsus im-  
munem sentit. Adhæc respiratio non est adeo sonora, pro-  
ut est quando ductus tracheæ phlegmate viscofo infarcti sunt.  
Tussis præterea adest sicca. Quodsi tuberculum temporis diu-  
turnitate calcatum ad suppurationem tendat, incipit gli-  
scere febricula lentæ haut absimilis. Suppuratum & ruptum  
puris expectoratione sese manifestat, & pure evacuato spiri-  
tus trahitur liberior. Difficilem, si non plane impossibilem  
diagnosin habent grandines, & calculi laboriosam efficien-  
tes respirationem: Interdum tamen ex sensu ponderis, &  
mali contumacia, aliqua petitur horum conjecturæ ansa.  
Quodsi à siccitate pulmonum enatum sit asthma, præces-  
serunt causæ, quæ tales ariditatem inducere aptænatæ sunt,  
sputum deficit, & macies totius corporis conspicitur. Asth-  
ma à siccitate pulmonum profectum vidit Heurnius libr. IV. de  
Asthmate, in quedam typographo.. Vomicam pulmonum qui-  
gestant, semper post motum, aut exercitium corporis vio-  
lentum, difficilem ducunt spiritum, & quamvis multum,  
& perpetuo fermè ad tussiendum impellantur, nihil tamen  
effatu digni elidere possunt, argumento claro sufflamen ali-  
quod hærere, ob quod, usu respirationis à motu aucto, non  
sufficiens aëris copia intima pulmonum subire potest, indi-  
cio item manifesto irritamen aliquod adesse, quod pulmones  
incessanter ad tussim inanem & sicciam irritat. Suspicio quo-  
que haut levis de vomicæ præexistentia capit, quando alii  
quis subito, & improviso liberius rursus respirat, & insimul  
scalas, & loca accliviora, quæ anteā non licuit, liberè rur-  
sus concendere valet, quamvis vomica non aboleatur, nisi  
pus evacuetur. Accidit nonnumquam, ut pulmones, dum in  
maxima explicacione frequenter ad pleuram pelluntur,  
ei, dum humor latus, & viscidus transudat, adhæreant,  
ac agglutinentur, quod autem ægre dignoscere licet: uti  
hoc sectiones impigros Anatomicos docuerunt. Sed satis de  
his.

XXIX. Transeamus ad prognosin, in qua procedenda  
cautos Medicos esse oportet, dum exitus hujus affectus valde du-  
bius

bius existat, ac difficulter pro certo queat proclaimari. Contingit enim quandoque malo hoc detentos vesperi necari, quos mane vegetos adhuc, & bene valentes putavimus. Cœterum asthma affectus est non contemnendus, ratione tum *partis affectæ*, tum *cordis vicini*, quod in consensum trahi vulgo notum est. Asthma inveteratum difficillimè, aut vix unquam curatur, ob materiæ bronchia oppilantis contumaciam, quæ vix ac ne vix quidem extirpari habilis est, cui accedit, quod medicamentis ad partes hasce, ceu longè dissitas, & in jugi motu perennantes, non facile pertingere licet. Asthma recens, & quod necdum altas egit radices, ubique vires adhuc validæ sunt, convenientibus pharmaciis sanari potest. Ad asthma antiquum si nova dereumente accedit materiæ peccantis è cerebro in pulmones cum impetu defluxio, catharrum suffocativum ministans, malo est. Asthma senes prehendens usque ad mortem, suffragante Galeno comitur, nam senibus, & decrepitis si accidunt morbi graves, & diuturni, ut plurimum cum ipsis commoriuntur, Opinionē favet Hippocrates, qui sect. 2. aphor. 39. ait: Οὐαὶ τοῖς αὖ αὐτίσιοις (loquens de senibus) Χεόντα νοσήματα γένονται, τὰ πόλλα ξυναποθνήσκει. Juvenibus est admodum difficile. Recens natī infantes, qui affectu hoc tentantur, perraro evadunt, eo quod illi alias statim, necdum ex uteri claustris eluctati, variis exponantur calamitatibus, quas divinus noster Senex brevibus aphor. 24, 25. sect. III. complexu est.

XXX. Οὐαὶ τοῖς εὖ ἀσθματοῖς, οὐ βρυχός γίνεται, τῷ τῆς ἡγεμονίας δύτηλλωται. Hippocrat. aphor. 46. sect. VI. Homines alati asthmate periculosius decumbunt, quam qui tales corporis figuram à natura nacti haud sunt. Periculi plenum est, si asthmati superveniat aliis magnus morbus, pleuritis, peri-pneumonia, hydrops pectoris, orthopnœa præsertim viribus jam attritis, & pulmonum bronchiis multum infarctis, ita enim pulmones à priore morbo imbecilles facti, sequentis accessioni sustinendæ impares existunt. Asthma mensis, vel hæmorrhoides suppressas consequens grave, & vehemens est. Autumno, & hyeme, locis item in humidis, uidis, aquosis, palustribus, aut cœniosis, degentibus multiplicatur, & ægrius: sanatur. Quodsi tuberculum, abscessus, calculus, aut alijs ali-

quis humor tenax, lœves arterias occupet, æ gri vel subito suffocantur, vel saltem longo opus habet termino, donec vel absumatur, vel concoquatur. Tuberculum suppuratum si rumpitur, phtiseos metum incutit. Periculoso quod est asthma *convulsivum*, in primis si materia morbifica circa *cerebri meditullium* hæreat, æ gerque à natura *systēma nervosum* molle obtineat. Non minus periculi portendit, vitiosam factam metastasis quod in sequitur. In paroxysmo asthmatico *convulsivo* sudor copiose promanans, vomitus adveniens, palpitatio cordis, pulsus inæqualis, tremulus, intermittens & deficiens, syncope, aneps faciunt augurium. Asthma cum orthopnœa junctum pessimum est. Idem scorbuticis, aut arthriticis, superveniens haut bono est indicio. Deterrium asthma *mixtum*. Calamitosum, si asthmate prehensis cum tussi, tussis evanescat manente difficultate spirandi, quumque ne quicquam de humore obstruente ejicitur, arguit enim *tonum fibrarum motricium* bronchiorum pulmonum, quarum officium est per superiora extussienda excernere, debilitatum, & causæ continentis ad *αἴσθητον* ineptitudinem. In summa asthmatici moriuntur vel ob asthma ipsum auctum, vel ob catharrum suffocativum, vel ob ruptam vomicam, vel ob syncopen cardiacam, imprimis à corpore pituitoso, ventriculos cordis subito opplente, & motum cordis subito sistente, vel ob apoplexiā supervenientem, ob vigilias namque caput debilitatur, & serum fit *αἴσθητον*, vel si ad hydropem pectoris accedat ascites, vel anasarca, vel si subfit aneurisma, quod subito rumpatur.

**XXXI.** Therapia pro ratione causæ morbificæ varie venit ex lege methodi instituenda. Si humor morbificus conjunctus est crassus, viscidus & latus, oportet eum incidere, attenuare, abstergere, & expellere. Humor vero tenuis si fuerit & copiosus, dum satis fluxilis, & mobilis sit, sine mora per *hydragoga, diuretica, & diaphoretica* per *ἐπίκρετον* est educendus. Quod si autem tenuior existat, quam ut per expectorantia expurgari queat, non nihil est in crassandus. Sanguis ebulliens, & impetuose ruens sui alterationem, derivationem, revulsionem efflagitat, & si copia nimius sit, depletionem. Materia purulenta, si quam continet thorax, sui amotionem & evacuationem per superiora, & inferiora cupit. Flatus à vitiosa fermentatione

tatione in intestinis tenuibus excitati si sint in culpa, sedulo illorum discussioni est studendum, & vitiosa bilis cum succo pancreatico, aut *liquore fermentativo*, ex plexibus glandulosis, per totum intestinorum districtum hinc inde consitis, in cavum intestinorum extillante, effervescentia est corrigenda, & tollenda. Tuberculum si conjiciatur adesse crudum, moderatè attenuantibus, & exiccatibus est absumendum, & si pervenerit ad suppurationem aptis expectorantibus erit juvandum, ruptum detergendum, mundandum, & consolidandum. Grandines, & calculi pulmonum compagem prementes, omni nixu ad exclusionem sunt disponendi, promovendi, & exturbandi.

XXXII. Præservatoria in causæ antecedentis, & exteriarum amolitione consistens, præcipit humores serofos, falsos, acres, si malum scaturiginem ducat à catharris, è capite in pulmones decumbentibus, à pulmonibus esse avertendos, revellendos, caput purgandum, & roborandum, humoresque catharrum constituentes purgandos, absorbendos, & exiccandos. Si ingens humoris serosi colluvies ex glandulis in pulmones deponitur, serum illud est revellendum, derivandum, absorbendum, & evacuandum. Ubi humores crassi, lenti, & viscidii in toto corpore scatent, sunt præparandi, attenuandi, incidenti, detergendi, & vacuandi. *Liquor sanguineus* crassior, & admotum ineptior *subtiliandus*, & volatilisandus. Quando calculi, & grandines pulmones obstruunt, partes *salina terrestres*, & *tartarea* in *massa sanguinea* abundantes, sunt depurandæ, exaltandæ, & volatilisandæ, atque iniqua partium salinarum cum aliis sanguinis particulis combinatio, à *spiritu saline-acido* facta, per decentia medicamenta est solvenda, & destruenda. Intemperies viscerum, si quæ adsunt, corrigendæ & immutandæ. Accutata in primis habenda est ratio pulmonum, & partium mandantium. Causæ externæ omnes sui amotionem deposcunt. Symptomata non sunt oscitanter postponenda, sed iis urgentibus tempestivè succurrendum. Vitalis à viribus desumptæ vires roborari, & conservari petit. Præ omnibus autem laxa pulmonum compages est confortanda, ne ita facile quorumvis humorum affluxum admittat.

XXXIII. Intentiones asthmatis convulsivi sunt 1. Genus nervosum irritatum esse demulcendum, 2. organa

gana respirationi dicata à spasmis initis avocanda, & ad officia ordinaria invitanda, 3. materiam irritantem, ut salinam acrem, vel salino-acidam esse corrigendam, alterandam, vacuandam, & absorbendam. Quarto pulmonum vasa, & glandulas serum stillantes roborandas, & constringendas, non fusque deque habitis iis, quæ *systema nervosum* confortare comperta habentur. Vitanda econtra omnia, quæ seri *despumationem* accelerare creduntur.

XXXIV. In asthmate *mixto* indicationes ab utroque defumuntur, & utriusque medelam adferre studemus. Si itaque comparet vitium aliquod conformatio*nis*, illud est emendandum, & auferendum. Dein fibræ pulmonum *motrices*, à materia acri irritatæ, demulcendæ sunt, spirituumque ad eas destinatorum *impetuositates* sedandæ, per amolitionem causarum hæc producentium, ut per *antispasmodica* & *antiepileptica*.

XXXV. Elicitis hisce scopis satisfaciendum est tribus fontibus consuetis, *Pharmacia*, *Chirurgia*, & *Dieta*, quæ nobis auxiliorum materias suggerunt, priusquam autem illæ subnectantur, sciendum est duplicem debere observari circa asthmatis curam medendi methodum. *Prior* docet, quid molendum sit in *paroxysmo*, ut laborans à præsentí liberetur periculo, *posterior* monstrat, quid tentandum sit extra *paroxysmum* pro causæ morbificæ sublatione, ut ne isthæc affectio crebrius, aut gravius repeat, recurratve.

XXXVI. Urgente *paroxysmo* ad duo præcipue erit respiciendum. *Primo* habenda est ratio aëris inspirandi, quo respiratio tempore sufflaminata promoteatur, reddaturque liberius. Dein exactus habendus est respectus pulmonum, quos dixi esse vel obturatos, vel constipatos, vel compressos. *Prius* quod spectat, oportet æger corpore sedeat erecto, quo major aëris copia intima pulmonum subire queat. Collocetur in conclave non clauso, angusto, vel humido, sed aperto, ventis salubribus perflato, aque fumis, ac adstantium halitibus, vacuo. Pectus, & abdomen ab omni adstrictione sumto immunita, quo cavum pectoris in majus extendi valeat ad uberiorum aëris copiam capessendam, hinc vestimenta, & alia quæque arctius thoracem operientia, sunt laxanda, & si fieri potest, penitus

penitus extenda. Stragulis nimis gravibus semotis leviter tantum pectus tegatur. Posterior quod concernit, sedulo navanda est opera, ut pulmones ab omni infarctu, oppressione, & compressione externa, vindicentur, & liberi fiant, quo sic aerem liberius inspirare, & exsufflare valeant. Quod ut fiat, & utne viscerum inferiorum pondus praecordia premat, aut coangustet, è re, & necessitate erit primas vias ab *impura* vitiisorum humorum *saburra* eluere enemate, alvum leniter subducente. Clysteris autem quantitas pro ratione staturæ ægri variet, videndum tamen, ne nimis excedat, ut ne intestina ex majore clysmatis mole nimium repleta & distenta diaphragma comprimant, & sic malum potius augeant, quam vero minuant. Quodsi vero angustia temporis, & summa rei necessitas, non permittant, ut enema paretur, indantur ano suppositoria, quæ in pharmacopoliis in usum coaptata jam prostant.

Quum malum hoc atrox à sanguine intra vasa pneumonica supra modum *turgescente*, aut à sero in ductus tracheales ex arteriis, aut glandulis depluente exasperari soleat, oportet Medicum circumspetè utriusque humoris *orgasmos*, & *impetus* congruis medicamentis consopire, & conciliare: qua propter si vires constent, & pulsus satis robustus exploretur, nisi aliud quid obstet, aut contraindicet, statim phlebotomie celebretur. Aperiatur vena brachii post ligaturam maxims turgens, & postea, si opus sit, & menses, aut hæmorrhoidæ statim tempore fluere solitæ subsistant, tundatur vena saphena in pede, aut applicentur *venis sedalibus* hirudines ritu consueto, sanguisque detrahatur pro ratione virium. Ad seri *estuantes* *despumationem*, ejusque per urinas, vel sudorem exclusionem expediunt julapia, apozemata pectoralia, pulveres testacei, quippe qui serum absorbent, & imbibunt, millepedum præparata quæ seri superfluitates à capite, ac *systemate nervoso* avocant, ac per vias urinarias educunt, aliaque *sale fixo* *lixiviali*, *alcalino*, vel *volatili* constantia, quæ quatenus *acidi* enormitates, ac cum aliis seri particulis *illicitas combinationes* tollunt, & destruunt insigniter profundunt. Juxta non omittenda sunt ea, quæ tracheæ ductus oppilatos solvunt, dilatant, lubricant, atque expectorationem juvant, quæque insuper, si nec-

sarium ducitur, catharros in eos defluentes compescunt.

Sin autem humor morbificus nimis tenuis à cerebro, vel aliunde in pulmones ἀρρώσ irruat, & ægro hæcce facescat incommoda, sedulo curandum est, ut ille revellatur, derivetur, & incrassetur. Ad revellendum, & derivandum magni æstimator cucurbitulæ cum, & fine scarificatione, scapulis, brachiis affixæ, uti & vesicatoria reiteratis vicibus in brachiis, & pone aures admota, quæ serum ubertim evacuant. Institui quoque possunt frictiones dolorificæ, pannis asperis ac sale factæ, partium externalum, modo superiorum, modo inferiorum pro ratione partis mandantis.

Intrinsicus ad fluxionis impetum coercendum utile erit exhibere diacod. Mont. syr. papav. alb. vel salt. errat. ad cochl. iij. vel pilulas de cynoglosso, vel quod melius forsitan conducet, granum unum, aut semis tantum, pro ratione mali urgentis, de essentia opii Langelloti, cuius compositionem Excell. Vir fusiū descriptis ad Academiam Curiosam. Inspiciatur Ann. III. Ephemerid. Germ. observ. 59. Ab opiatis ob paroxysmi ferociam initium subinde esse faciendum testatur Poterius. Sunt tamen, qui narcotica, & opiate cane pejus, & angue in hoc pathemate detestantur, piaculum ducentes in paroxysmo opiate propinare, quoniam ab illorum usu respiratio, quæ jam languida est, magis adhuc inhibetur. Quod equidem verum est, nec sine decenti cautele ad narcotica est configiendum. Attamen si non ad sit magnus pulmonum infarctus, vel præcordiorum oppressio, magno emolumento, magnoque ægri cum levamine, ceteris medicamentis nil efficientibus propinantur. Cl. Wedelius in sua opiologia cap. III. scribit de viro asthmatico, quod à nullo medicamento majorem senserit opem; quam ab opiatis, quibus circa noctem datis, mane altero coctam materiam excernebat, & liberius spirabat. Non inferiori virtute pollent palveres, & pilule anodynæ Excell. D. Danielis Ludovici p. 666. pharmaciae sue Modernæ describit.

Ad humorem incrassandum præscribi possunt syrapi, vel ecclegmata ex ol. amygdal. dulc., loch. de papav., spec. diadrag. fr., Laud. opiat., ex bolo Armena, terra sigillata, ebore, pulvere è testis ovoidum, lapid. canc., aliisque testaceis, & cretaceis, quæ omnia ratione salis sui alcalisati juvant, quatenus nempe hujus particulae

*sali acido, sanguinem in superfluitates hasce fundenti, occurrentes, cumque eo coeuntes illius præpollentias tollunt.*

XXXVII. Extra *paroxysmum* cura consistit in hoc, ut materia peccans in pulmonibus, eorumque bronchiis collecta, ut & illa, quâ universum scatet corpus, ad evacuandum præparetur, & ita præparata per loca conferentia educatur. Phlegma ergo crassum, lento, ac glutinosum canales bronchiorum obturans, omni studio medicamentis, tam *sale lixivo*, *alcalino*, quam volatili præditis, aromaticamque vim habentibus moderatè est incidendum, attenuandum, abstergendum, eliminandum. Quoniam vero maxima pars horum valide calfacit, ne particulis tenuioribus discussis, & absuntis, crassiores remaneant, adque sui exclusionem inhabiles reddantur, emolumento erit humectantia iis admiscere, qualia sunt passulæ, ficus, liquiritia, jujubæ, &c. Cœterum materia auxiliarum sunto seq. Radices helenii, glyz yrrhiæ, ineos fl., tuſilag., apii, fœnicul., ari, herb. hyſſopi, veron., ſcabios., tuſilag. rorism., beton. marrub. origan. ſalviae, botryos. capilli ♀, pulegii, fl. papav. err. stoechad. bellid. min. ſemina, urticæ, fœniculi, anisi, lini, passulæ majores, caricæ, jujubæ. Proficua quoque hic deprædicantur aquæ distillatae spirituofæ hyſſopi, origani, ſalviae, veronicæ, agrimonie, cinamomi. Aqua vitæ beccchica Joëlis. Aqua Asthmatica Schræderi baccis Juniperinis exalta ta, quam ille Lib. II. Pharm. Med. Chym. cap. 38. describit. Spiritus ſalviae, ſpiritus Antasthmaticus J. Michaëlis præstantissimus, at ingratus, paratus ex viride æris, & Gummi ammoniaco, ſpiritus cornu cerv. ſulphuris per campanam, ſpiritus ſal. ammoniaci, fuliginis, ſanguinis. Spiritus Juniperinus Mynſichti. De juniperi laude in asthmate plura reperiet benevolus lector apud Cl. D. Scharffium de Junipero p. 157. Syrupi de hyſſopo, de tuſilagine, de betonica, de præſio, de farfara, de jujubis, helenio, compositus Augenii, ſyrupus ex ammoniaco, de ſulphure, ſyrupus Asthmaticus Zvvelferi. Syr. de eryſimo Lobel. cum ol. amygdal. dul. & ol. ſeminis lini Medicis Scaphusienib⁹ in frequenti uſu. Oxymel ſimplex, & Helleboratum Geſneri. Rotulae ex oleis deſtillatis anisi, & fœniculi paratæ. Oleum ſacchari compoſitum Riverii. Tinctura croci, gummi ammoniaci, ſulphuris, caſtorei, aſæ fœtidæ, ambræ. Balsamus ſulphuris anisatus, therebinth. juniper. Speciali idem ſympathia conducere dicuntur pulveres pulmonis *Vulpis*, & *Erinacei*, quam autem prærogativam iſis defogare videtur

*Excell. Dn. Daniel Ludov. in Pharmacia sua, moderno seculo applicand.*  
*de pectoral. aper. p. m. 514. ubi ita habet. Looh de pulmone vul-*  
*pis quosvis etiam infarctus bronchiorum interdum quidem*  
*aliquantum juvat, sed etiam citra parenchymatis istius accessum.*  
*Tabidis magis officit: uti quoque ipsis *Vulpis*, & *Erinacei* pul-*  
*monibus. seorsim siccatis, mumialiterve conditis, & in*  
*tragæas vel essentias redactis horum neminem curatum vidi-*  
*mus. Usurpantur etiam pilul. confectæ ex gummi ammon.*  
*galban. myrrh. sperm. ceti, ambra grisea. croc. item fl. sul-*  
*phuris, & sal ammoniac, salia volatilia, cornu cerv. & cam-*  
*phora. Ad dissolvendos humores mucosos, & glutinosos,*  
*obstructionesque aperiendas excellens quoque medicamen-*  
*tum est diaphor. mar., item flores sulphuris, & sal ammonia-*  
*cum cum limatura martis sublimatum, spiritus sal. ammoniaci,*  
*cum tartaro destillatus. Ex farragine hac medicamentorum*  
*variæ formulæ concinnari poterunt pro beneplacito ægroti, &*  
*judicio *Medici* periti.*

**XXXVIII.** Decocto ex radicibus, herbis, floribus, & se-  
minibus sale volatili *alcalino*, vel *oleoso balsamico* pollentibus con-  
flato, vel simili debite usurpato, si jam præparata, & correcta  
quodammodo fuerit materia obstruens, ad ejus exclusionem  
est properandum, cui scopo inserviunt pleraque *Φλεγμαγονά*,  
& *ὑδραγονά*. Conducunt pilulæ ex *extract. cath. Th.*, pilulæ ce-  
phalicae, cochiaæ. Convenit item radix, & resina *jalappæ*, syrpus  
*rosarum simplex*, & compositus, syrpus *de Rhamno catarctico*,  
florum perficorum, &c. Ubi serum pituitosum prædomina-  
tur, egregii usus est *mercur. dulcis*. Mercurialia enim omnia  
maxime fluxile reddunt serum, & ejus coagulationem prohi-  
bent. Sed præstat eum dare cum aliis stimulantibus, quia so-  
lus segnior existit; Non dandus nisi in forma pilul. In bolo,  
& pulvere dentibus adhæret masticatus eos corrodendo, &  
mobiles reddendo. Commendatur hie quoque *Mercurius Co-*  
*rallatus*.

**XXXIX.** Purgantia fortiora fugienda. Fortia enim pur-  
gantia humores plus nimium fundendo plus damni quam e-  
molumenti inferre, quotidiana nos docet experientia. Quod si  
autem humor nimis sit tenax, ita ut detrectet sequi ductum  
mitiorum medicamentorum, præparantibus ulterius est pu-  
gnandum

gnandum : idcirco utile erit sæpius purgantibus præmittere præparantia ex *cremore tartari*, *tartaro vitriolato*, &c. Ob humoris morbifici cōtumaciam felices *Practici* per crebram experientiam perutilia experti sunt vomitoria. Inprimis in quibus ingens phlegmatis viscosi saburra *ventriculi plicis*, aut tunicis infarcta est, quæ aliorum medicamentorum vires eludit, nec quicquam cedit. Ad hunc scopum non incongruum erit porrigere vomitorium v. gr. *Tartarum Emeticum Mynsichti*, vel *Oxysaccharum Emeticum Dan. Lud.* Noctu in sequenti virium roborandarum ergo capiat æger, paulo ante somnum de opiate, vel conserva roborente. Postquam humor pituitosus hoc modo ita præparatus, a quæ evacuatus est ad ea, quæ immediate partes affectas cum mandantes, tum recipientes à materia morbifica vindicant, transcendum est. Qua de causa si capiti malum hoc atrox natalitia sua debet, illi medicamenta sunt applicanda. Hic juxta pilulas, speciali quodam modo capiti dicatas, commendantur errhina, & sternutatoria. Α' ποΦλεγματισμοί in hoc affectu, teste *Riverio*, & *Augenio*, plus officiunt, quam prosunt. Expectorationem promovent, ac pulmones reficiunt *oxymel Helleb. Gesn.* *Syr. de Erys. Lob. spir. Antasthma*, &c. Majorum medicamentorum apparatus qui expedit adeat vastissimos *Practicorum* libros, in quibus ingentem eorum reperiet sylvam, è quibus selectiora pro ingenii sui modulo depromere norit. Pectus illinatur sæpius in die, præmissis frictionibus, *axungia gallinæ*, *hominis*, vel *anseris*, *oleo chamomillæ*, *violæ*. *Unguento de cynogloss. de hyosc.*

**XL.** Ubi copiosi luxuriant humores serosi & tenues, non timerem ordinare diaphoretica *sale fixo*, aut volatili pollutia, quæ maxime convenient iis, quorum sanguis seroso humore fluidus existit, quia dum horum salium particulæ, humorum particulis *acido-salinis* occurruunt, cumque iis copulantur, coagulationes ab *acido* factas tollunt, sicque superfluitates serosas foras convehunt. Commodum hic foret antimonium diaphor. diutius debito calcinatum. Per diutinam siquidem calcinationem partes salinæ cum terreis intimius coeunt, unde diureticum magis evadit medicamentum. Inquiratur *Ann. III. Ephemerid. Curios. Observ. 27.* in qua *Cl. Wedelius* plura monet de *calce bac antimoniata*.

**XLI.** A flatibus si procedat malum, generati omni stu-

dio sunt dissipandi, novorumque generatio impedienda. Hoc effectum dabunt medicamenta quævis aromatica, sale volatili oleoso blando, & temperato prægnantia, quæ vulgo in Medicorum schola carminativa appellari consueverunt, quorum etiam ingens apud Autores extat catalogus. Cura tuberculi, & calcilorum ex jam dictis abunde patet.

**XLII.** Progrederior nunc ad asthma *convulsivum*, in cuius paroxysmo genus nervosum irritatum est demulcendum, materia irritativa, salina acris, bilioſa, acida corrigenda, temperanda, demulcenda, & vacuanda. Tensa laxanda, adque ordinaria stadia deducenda. Huic intentioni inserviunt remedia *antispasmodica*. Durante paroxysmo, non spretis, quæ supra in paroxysmo asthmatis *pneumonici*, ratione aëris agenda mandavi, multum auxiliantur spirit. per retortam eliciti, ut spirit. corn. cerv, sulphur. fuliginis, sal ammoniaci cum gumm. ammoniac. Essent. castorei, asæ fœtidæ, sal corn. cerv. vol. & similia ex supra numeratis, quia ingrati sunt saporis, & odoris. Ingata quippe naribus admota, vel intus assumpta, spiritus furibundos reprimunt, atq; ab excursibus, & exorbitantiis retrocogunt, inque ordines consuetos compellunt. In hunc scopum usu receptissimum est apud *Practicos* fœtida, & graveolentia naribus admoveare, quia horum effluvia spiritus nimis efferos, & exilire paratos reprimunt, ac in debitas suas series cogunt. Quod si hoc modo spiritus ferocientes conciliari non possint, ad *narcotica* est descendendum, quo manipulo uno, aut altero, eorum obnubilato cœteri in ordinem reducantur, vel si paroxysmus diutius persistens hisce manus dare relugetur, expedit spiritibus alio in loco molestiam creare, quo à *spasmis initis* abducantur. Nam aliquibus alia in parte corporis afflictis, reliqui ut plurimum *ataξias* suas dimittunt, & cum impetu quodam à regione pulmonum ad partem dolore affectam decurrunt, quapropter vesicatoria, cucurbitulæ, ligaturæ, & frictiones dolorificæ levamen adferunt. Non negandum interim est, quin per vesicatoria, & cucurbitulas etiam aliquid de humore morbifico, præcipue si *lympha* aut serum acre, in causa fuerit, evacuetur.

**XLIII.** Extra paroxysmum indicationes exigunt vitia, & enormitates partium pulmonum *motricium*, & spirituum ad eas destinatorum, esse eradicandas. Oportet ergo **L.** Impuritates sangu-

sanguinis cerebro, & nervoso generi, ut & nervis, & fibris pneu-  
monicis suffundi aptas, tollere, aut alio derivare. 2. Pulmones  
cum corporibus nervosis, & nervis pneumaticis munire, spiri-  
tusq; animales, veros illorum incolas, ita roborare, ut illi parti-  
culas extraneas, & heterogeneas vel non omnino suscipiant, vel fa-  
cile rursus exturbent. 3. Quicquid mali viscera intus fovent,  
atque sic dispositioni asthmaticae ansam largiri valent, auferre. Pri-  
mus scopus perficitur purgatione, & venæsectione, aliisque ex  
supra notatis, sanguinem, ejusq; humores depurare valentibus.  
Secundus peragitur *cephalicis*, ac propriè *antispasmodicis*, & *expecto-  
rantibus* julepis, quibus permisceri debent pulveres marg. præp.  
cranii hum. præp. corn. cerv. phil. præp. ebor. pulv. March.  
Epilept. succ. alb. præp. utpote qui eam obtainent naturam, &  
vim, ut materiam salinam acrem, & efferam corrigant, demul-  
ceant, spicula adimant, redundant, invertant, imbibant, sicq; à sy-  
stestate nervoso noxam sensim amoveant. Decantatur hic tanquam  
specificum *cinnabaris nativa*, vel *antim.* quæ insigni vi spirituum  
impetum sistendi, humores acidos, austeros absorbendi, & in  
coagulum abeentes liquandi, & fundendi creditur esse prædicta,  
cum primis si non toties, uti nonnulli perperam factitare amāt,  
sublimata fuerit. Per crebram enim institutam sublimationem,  
& rectificationem, sulphur illud purum, in quo præcipua ejus  
virtus latitat, comburitur: Vide *Wedel. Pharm. in artis form. red.*  
*lib. II. sect. III. cap. IV. §. 9.* Tertiæ intentioni ex jam dictis facile  
occurrere noscet prudens Medicus.

XLIV. Intentiones asthmatis *mixtae*, aliæ sunt in paroxysmo, aliæ extra eum.  
Priores duobus absolvuntur scopis 1. Tensa esse remittenda, & sputi excretio-  
nem promovendam. Ex usu hinc erunt *Antispasmodica*, & *Avanadagogos*, cœntia  
modo recitata. Postiores complebuntur, quando serum imminuitur, absor-  
betur, demulcetur, revellitur, derivatur, & exturbatur. Pulmonum vasa, &  
glandulæ roborantur, non omissis iis, quæ *genus nervosum* confortare expe-  
rientia comperta habentur. Fugienda econtra, quæ seri *despumationem* pro-  
movent. Conveniunt hic blanda, & benigna purgantia pro rei necessitate rei-  
teranda & mutanda. Venæ sectio vere, & autumno repetenda. Fonticuli, ve-  
sicatoria, setaceum. Materia medicamentorum ex supra dictis desumenda,  
Symptomata mitigabuntur ablatis, veldiminutis causis ipsius affectus. Pecu-  
liarem illorum curam adjicere nec opus est, nec instituti ratio permittit, quo  
modo enim maxime urgentibus symptomatibus in tempore sit obviam eun-  
dum, ex antecedentibus cuivis, bene adtendenti, satis superque patet.

XLV. Diæta stricte debet observari, hanc enim si respuat æger, cœtera  
omnia in cassum tentantur. Aër consideratur, quatenus exspiratur, & quate-  
nus inspiratur. Ratione inspirationis debet esse lucidus, purus, temperatus.

Nocet,

Nocet, qui multa humiditate est resertus, velluti & ille, qui particulis sulphureis nimis imprægnatus est. In ipso paroxysmo probant *Prædicti* non nihil frigidum, eo quod talis copiæ aëris requisitæ defectum suppleat. Domicilium oportet sit à stagnis & paludibus remotum. Vitandus, vel arte corrigendus aëris impurus, crassus, nebulosus, frigidus, & pluviosus. *Cibus* ratione quantitatis non sit nimius. Nimia etenim voracitas fermentis ventriculi vim, & *crescere* eludit, replendoque fibrarum ventriculi tonum enervat. Ratione qualitatis sit *άρχυμος*, *άπειλη* καὶ πολύτεροφος, boni succi & pauci excrementi. Alimenta condiantur aromaticis, radic. *ireos* Fl., seminibus *anisi*, *foeniculi*, *coriandri*, *croco*, *macer*, corticib. aurant. citri, & similib. Salubres sunt capones, pulli-gallinacei, perdices, alaudæ, columbæ. Alimenta salsa, acria, mordacia, flatulenta procul absint. *Vinum* concedendum hic tenue rubrum, bene defœcum, nec nimis annosum, modica quantitate, dilutum Decocto Chinæ, vel falsæ parillæ, & edulcoratum liquiritia, coriandroque aromatisatum. Infundi quoque potest sacculus infarctus *radic. perrosel.*, *herb. hyssops*, *salsæ*, *major*, *voris*. *seminib.* *anisi*, *foenic.* *bacc Juniperi*. Emolumento quoque subinde sunt vina composita, ut vinum *Helenites*, *cochleariae*, *salsæ*, *roris marini*. Album hic, ceu *acidum*, noxiū. In motu & quiete moderamen teneat, quum utriusque defectus, vel excessus ad mali hujus generationem multum conferat. Exercitum vehemens, & intempestivum fugiat, nam vehemens motus partes in massa sanguinea *oleosas* concitat, & inflammat. Intempestivum felicem ciborum digestionem, & distributionem impedit. Quies imperetur moderata. Immoderata fœcunda cruditatum mater existit. *Τιμὸν ἀγεντινὸν ἀμφότερον τῆς μετείσις μᾶλλον γνώμην κακήν*, inquit *Summus Dictator noster Hippocrat. sect. 2. aph. 4.* Decubitus sit erecta cervice, non supinus. Omnium corporis partium excrements singula consuetis temporibus rite deponantur, secus si hæc, aut illa solennis evacuatio non succedat, arte proritanda. Econtra si excessu peccet, aptis auxiliis cohibenda. In summa valet hic quod ubique aureum illud *Hippocratis* Πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσῃ πολέμιον.

X L V I . Jam etiam proponendum foret, quâ ratione æger ex morbo hoc clapsus illius *recidivam* præcavere debeat. Ast in volumen disputatio ex crescet, omnia, quæ circa Asthmatis *αερφύλαξιν* notanda occurunt, enumerare si vellem. Coronidis loco pauca quædam monita adjiciam, ad mali recurrentis præcautionem necessaria. 1. Oportet ægrum sedulo observare & factitare quæ supra de vitæ regimine injunxi. 2. Non statim ex morbo convalescens omnibus medicamentis debet supersedere, sed subinde illa in usum revocare, præsertim ea, quæ cerebrum cum universo *systemate nervoso* reficiunt, pulmones, & ventriculum roborant. 3. Quando alvum suppressam, aut tantum pigriorem sentit, curet sibi injici enema ex emollientibus & carminativis paratum. 4. Singulis, vel alternis mensibus circa novilunium usurpare cum oportet præmisso præparante, purgans, pro ratione indicantis humoris varium, quo humores collecti nunc fortius, nunc mitius eliminantur. Eunpias loco cathartici juvabit vomitorium. Hisce s. adjungi possunt *antiasthmatica*, & *expectorantia* per intervalla adhibenda, de quibus ad nauseam in antecedentibus, quare manum de tabula.

DEO SIT LAUS, HONOR,  
ET GLORIA.